PErlegi hanc Concionem, eámq; dignißimam judico quæ publicam lucem aſpiciat.

Geo. Stradling, *S.T.D.*
Reverendi in Chriſto
Patris Gilberti *Epiſc.*
Lond. Sacellanus domeſt.

PErlegi hanc Concionem, eámq; dignißimam judico quæ publicam lucem aſpiciat.

Geo. Stradling, *S.T.D.*
Reverendi in Chriſto
Patris Gilberti *Epiſc.*
Lond. Sacellanus domeſt.

CONCIO

AD

ACADEMIAM Oxonienſem

Pro more habita inchoante Termino,
Maii 27. 1662.

A JASPERO MAYNE, S. T. D. *Ædis Chriſti Præbendario, Regiq; in ordine à Sacris.*

Joannis 8. 36.

Ἐὰν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε.

LONDINI,

Typis *F. Griſmond*, & proſtant apud *R. Royſton* in *Ivie-lane*, 1662.

(2), 42 p

Ad Galatas 5. 1.

Libertate quâ nos Chriſtus liberavit ſtate, & nè iterum jugo ſervitutis implicemini.

ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ:

Quod de Manna proditum eſt, quâ in ſolitudine veſcebantur itinerantes Judæi, eam pro diverſis guſtantium affectibus & palatis diverſiſſimè ſapuiſſe; idem de Religione Chriſtiana dicendum arbitror: Cùm primùm ab Apoſtolis mundo vulgaretur, pro variis audientium moribus & ingenio varias de ſe ſententias & judicia peperit; aliis dura nimis & ſevera, aliis laxior quàm fert pietas & recta ratio, videbatur.

Qui de Gentibus erant novæ hujus diſciplinæ auditores, homines ἄνομοι prorſus & nullâ lege viventes, quiq; per ſecula plenam ſibi indulſerant peccandi libertatem, Ethnici, inquam,

quam, quibus ingluvies, luxus, ſcortationes & ebrietas inter vitæ delicias & delinimenta habebantur, imò qui in patrandis his ſceleribus exemplaria ſuæ cœlo petebant, deosq; colebant libidinoſos & nefarios, adulterum Jovem, meretricem Venerem, Bacchum temulentum, & Mercurium furacem, iis Evangelii doctrina, utcunq; cœlitus delapſa, quia humanæ naturæ opprobria hæc repudiabat, moroſa, querula, imò delira & veſana videbatur; præmiaq; licèt ampliſſima diſcipulis ſuis polliceatur, eſſe tamen ἀυσνόητα, & alterius ſeculi præmia, ab oculis ſperantium longiſſimè remota, incerta planè & ambigua, nec aliter acquirenda niſi diſciplinam illam amplectentibus, quibus religio eſt anxiè vivere, ut ſtolidi & vecordes moriantur.

Ut diſertiùs me expediam; Hominibus quibus nihil turpe erat quod dulce & jucundum, Religio Chriſtiana, quæ voluptates averſatur, ſpinoſa & inhumana, imò paradoxis à communi ſenſu abhorrentibus referta videbatur.

Quis enim æquis auribus hujuſmodi ferat dogmata, pro roſtris celebrata, & ab inſanientibus credita? inquit Celſus philoſophus. *Beati ſunt pauperes*: Et eſt paupertas ſummo Bono quam finitima & affinis. *Facilior erit cameli*

tranſitus

tranſitus per acûs foramen, quàm opulenti introitus in regnum Cœlorum. Fortiſſimus eſt, non qui ſe ulciſcitur, ſed qui cedit injuriis, & contumeliis ſuccumbit; qui *maxillam dextram ferienti obvertit lævam, tunicamq; elargitur ſurripienti togam.* Nemo verè Chriſtianus eſt niſi qui Hominem exuit, ſic ut hoſtem malignum præ amico diligat. Quæ nova eſt, inquit, Chriſti veſtri crucifixi moralis philoſophia, quæ brevi iracundiæ judicium, levi convitio gehennam minitatur? quæ non ſolum omnis generis libidines vetat, ſed ſtatuit eſſe aliquam laſcivientis oculi impudicitiam? peccari poſſe animo ubi corpore non delinquitur? Ænigmata planè ſunt iſta, ipſum Oedipum fugientia, eſſe aliquod ſine concubitu mentis ſtuprum, & ubi fœmina non eſt, ut ſit adulterium. Hujuſmodi ſanè dogmata (quibus plura addi poterant) humanis affectibus adeo adverſa videbantur, & philoſophorum ſuorum placitis adeo repugnantia, (qui ſummum bonum hujus ſeculi voluptatibus metientes, de futuro nil ſtatuere potuerunt) ut multi ad fidem Evangelicam converſi, diſciplinæ tam rigidæ & moleſtæ tædio affecti Apoſtatæ facti ſint, & in priſtinam idololatriam relaberentur; magiſq; placebant Inferi jucundè pereuntibus, quàm cœlum ipſum tot ærumnis, tot duris monitis poſſidendum.

Judæi

Judæi, contrà, Legi à Deo per Moſen traditæ per ſecula aſſueti, ardua licèt eſſet & difficilis, eademq; ferè onera à nepotibus, quæ à majoribus ſuis Pharao & Ægyptii, exigeret, cùm negatâ ſtipulâ laterculos poſcebant, cùm audirent Apoſtolos ubiq; prædicantes Legem illam à Chriſto per Evangelium ſublatam, & facili compendio cœlum, non operibus Legis, ſed Fide acquirendum, ſervitutis ſuæ nimium amantes, & libertatem recuſantes quæ patriis moribus imbutos mancipia eſſe non ſineret, Evangelii doctrinam, quaſi laxam nimis & effrænem, reſpuebant, eodemq; quo Chriſtum authorem ejus ſtigmate notabant, eſſe nempe novam diſciplinam peccatoribus amicam, vino & epulis indulgentem; quæ doceret vanos eſſe & inutiles Sacrificiorum ſumptus, cum viliùs multò Cœlum à credentibus emi poſſet, & ſine pretioſo victimarum impendio alienis meritis facillimè acquiri. Quis enim non œſtro percitus doctrinam ferat, quæ Chriſtianum ignavum & ſuis vitiis volutantem ſedulo & pio Phariſæo anteponeret? quæ diſcipulis ſuis nil durius ſuaderet quàm credere, & ſervari, & licenter vivere?

Haud facilè capientes igitur, cur Deus mitior & benignior foret Gentibus, inimicis & hoſtibus, & qui eum non agnoſcerent, quàm po-

pulo

pulo ſuo, Judæis, qui religiosè colerent; aut quî fieri potuit, ut ſubitò mutatâ in cœlos viâ, janua, per quam ingredimur, Patriarchis & Prophetis & Sanctis omnibus primævis arcta eſſet & anguſta, Ethnicis verò & Idololatris jam patula & aperta; anxiè deniq; diſquirentes, cur mutato Dei immutabilis conſilio, acûs foramen, per quod Abrahami poſteri difficillimè tranſibant, Camelis jam pateret, paganoſq; admitteret; ubicunq; Apoſtoli ex Fide Evangelii ſalutem prædicabant, ſuos emiſere Anti-Apoſtolos, qui ſalutem ex Legis operibus intonabant.

Hinc ortum eſt inter Legem & Evangelium grande diſſidium: Moſes Chriſto, Chriſtus Moſi opponebatur. Imò cùm eſſent quamplurimi qui & Moſen & Chriſtum amplecterentur, hinc orta eſt bicolor & multiformis Religio, quæ (ſerpente indies lue) conſtabat ex Judæis baptizatis & circumciſis Chriſtianis.

Huic morbo ut maturiùs occurreret Divus Paulus, Epiſtolam hanc ἀντίδοτον ſalubriter conſcripſit. Monetq; Galatas, jam biformes, & in Religione Hermaphroditos, quibus pari erant authoritate & Lex & Evangelium, Legem Moſaicam, cæremonialem inprimis, umbratilem tantùm eſſe, orto Sole vanituram; ſeu potiùs pædagogum, qui ad Chriſtum ma-

nuduceret, Ferulæ ſuæ imperio haud diutiùs uſuram, quàm dum ſanctioris diſciplinæ Magiſter ſuos molliùs inſtitueret: Pſeud-Apoſtolos igitur eſſe & mendaciorum artifices, qui Legem Moſis non abolitam pro roſtris perorarent. Imò infeſtos eſſe ſervitutis præceptores, qui auditoribus ſuis jugum imponere conarentur, à quo Chriſtus in ſe credentes jam penitus liberâſſet.

At nè audito Libertatis et Evangelii vocabulo, ſibi nimiùm blandirentur, ſibiq; cupidiſſimè arriperent peccandi indulgentiam, quaſi Lege veteri abdicatâ Lex nulla ſupereſſet; docet veram Libertatem non in eo ſitam eſſe, impunè quidvis agere, vel liberè peccare; eſſe aliquos etiam et Evangelii frænos, qui mores hominum coërceant et in ordinem cogant: ut ſi, Chriſtiani cùm eſſent, Ethnicorum more viverent, jugum tantùm mutarent, non excuterent; et à Legis ſervitute liberati, gravionem ſubirent peccati ſervitutem. Curiosè deniq; quærentibus quænam eſſet ea Libertas in quam redderentur, Commate 13. hujus Capitis reſpondet, Non eſſe eam quâ ὡς ἀφορμὴν τῆς σαρκὸς abuti liceat; eam nempe quæ nulla ſcelerum pomœria, nullas metas agnoſcat, ſed quæ libero curſu et voluptatum aucupio affectibus nunquam ſatiandis alimenta ſubminiſtret:

ſed eſſe talem libertatem qualem recta Ratio et Evangelium præſtituit; talem nempe qualem in hac periodo circumſcribit Apoſtolus, cùm dicit, *Libertate quâ nos Chriſtus liberavit ſtate, & nè iterum jugo ſervitutis implicemini.*

In quibus verbis (ſi ad amuſſim accuratè revocentur) occurrunt Tria inprimis expedienda. Primò, Chriſtianiſmi indoles et natura, prout Judaiſmo et pravis Gentium moribus opponitur. Lenibus imperiis ἐυνομώτατον inſtituit, vivendi nempe normam hominibus liberis dignam; unde et ipſa *Libertatis* nomine hîc candidiſſimè inſignitur. Secundò, Nè Libertas hæc vili penderetur, faſtidiumq; ſui pareret, quia lenis et jucunda, et gratuitò conceſſa, ad perſeverandum in ea hortatur Apoſtolus; στήκετε, inquit, *State*, id eſt, perſiſtite, *in ea libertate quâ nos Chriſtus liberavit.* Ultimò, Nè duram ſervire ſervitutem, catenasq; jam exutas induere velint, adverſus ἀποστασίαν et defectionem præmunit Apoſtolus, hortando, *nè iterum* velint *jugo ſervitutis implicari.* Habetis capita à me ſuo ordine differenda; è quibus primum locum vendicat Chriſtianiſmi indoles et natura, quæ hîc placido *Libertatis* nomine deſignatur. *Divisio partium.*

Cùm è Philoſophis quidam veteribus ab amico rogaretur, *Si liberum ei daretur vivendi ſuffragium.* 1. *Libertas Chriſtiana.*

fragium, quam civitatem vel imperii formam præ cæteris optaret; Percontare, inquit, *quâ gente vel republicâ ſim famulus futurus. Herile enim & δεσποτικὸν eſt vel cujuſvis formæ imperium; nec alicubi ſubditus eſſe poſſum, niſi inſuper & ſervus. Hoc ſolo diſcrimine; Si Monarchia ſit, unum tantùm, ſi Ariſtocratia vel Reſpublica, ſum multos dominos habiturus.* Cui ſententiæ alterius Philoſophi adſtipulatur ſententia, qui *Regna & Reſpublicas eſſe loca* aſſeruit, *ubi multi paucis ſine Chirographo inſerviunt.*

Sitne aliqua Μελεμψύχωσις, quam ſomniavit Pythagoras, vel an tranſire poſſint philoſophorum Animæ in alterius ſeculi homines de Magiſtratibus malè ſentientes, haud facilè ſtatuerim. At noſtra tulit ætas, non Philoſophos, fateor, (nihil enim ſublime vel generoſum ſapiunt) ſed homines plebeios, Anabaptiſtas Νομάδας, Tremulosq; Fanaticos, & ſuis Furiis agitatos, qui *Monarchiam quintam* ſomniantes, et ſine Legibus Imperium, ubi Chriſtus cum Sanctis ſuis ſit liberrimè regnaturus, Philoſophorum ſententias adeò ſuas fecerunt, ut Principes Tyrannos, Reſpublicas Ergaſtula et arbitrentur et appellent; Magiſtratus omnes damnent, Libertatis dulcedinem ſociis ſuis denegantes; inter hos quos Chriſtus liberos fecit invisa eſſe Regum et Dominantium vocabula; Chriſtianos omnes ex æquo ſocios eſſe et

pares, et quòd inæquales habeantur ambitioni tribuendum.

Sententiam ſuam, novam planè, at noſtris temporibus indies gliſcentem, gemino argumentorum pondere adſtruere conantur. Quorum aliud à Natura, ab Evangelio aliud et Religione petitur. Naturâ, inquiunt, omnes ex æquo liberi et æquales naſcimur, ex iiſdem Elementis, ad eandem Dei Imaginem à principio conditi, pari ſanguinis Cognatione per omnia affines. Dives et pauper, nobilis et obſcurus, ſuperior et inferior, quid aliud ſunt quàm fortunæ cæcutientis diſcrimina? Nomina Montium editis et Vallibus aptiora, quàm Hominibus ingenuis et libertatem ſpirantibus? Reges etiam et Magnates quid aliud ſunt quàm pravæ conſuetudinis vocabula, à ſuperbis uſurpata, et à ſtolidis probata? Si enim ad primævas Naturæ leges Hominum ſortes redigantur, æquè portentum erit Subditum naſci, ac ſi Patres gignant Filios compedibus implicitos, Infantesve edant Matres catenis et vinculis conſtrictos. Quod et de Regibus dici poteſt: Æquè prodigioſum eſſe Principem naſci, ac ſi quis è matris utero prodeat Diademate redimitus, vel Sceptrum manu tenens in lucem emittatur.

Quæ ab Evangelio adducuntur argumenta haud

haud minùs dictu ſpecioſa videntur. Nunquid Divus Paulus, vir planè [illegible], vel hoc ipſo commate, de quo jam peroratur, aliam intelligit Libertatem Chriſtianam, quàm quæ ſortis paritatem et æqualitatem præ ſe ferat? Nonne jubet *tenaces* eſſe nos *libertatis quâ nos Chriſtus liberavit*? Nonne docet, nulli niſi Chriſto deinceps obtemperandum? Videtur nobis ſanè locus iſte, Sancto Spiritu afflatus, de mundo tollere ſplendidam illam et fallacem Dominantium pompam, de Soliis ſuis Reges et Principes deturbare, Diademata capitibus detrahere, Sceptra manibus excutere, et in privatam Subditorum ſuorum ſortem redigere. Si quis alium hujus loci machinari velit ſenſum, Chriſtum ipſum audiat Apoſtoli ſui Pauli interpretem, 20. Matthæi capite, à commate 20. ad 27. ubi cùm duorum fratrum ſive precibus, ſive ambitione, permota mater à Chriſto poſtularet, ut *Regnum poſſidenti è filiis alter ad dextram ejus ſederet, alter ad ſiniſtram*, correptam admonuit, tales honores nec ſui eſſe muneris, nec regno ſuo congruos. *Principes*, inquit, *Gentium dominantur eis, & mundi Optimates magnitudinem affectant; at non ſic erit inter vos*, nempe Chriſtianos. Ab Eccleſia mea eliminabitur omnis dominandi ſuperbia. *Qui maximus erit inter vos, ſit reliquorum ſervus & miniſter; & qui*

*ſuprem*us

ſupremus eſſe velit, locum humilem concupiſcat. Ex hiſce præmiſſis hanc inferunt concluſionem, Chriſtianis æqualitatem ſortis quàm maximè convenire; quibus per omnia vivendum eſt acſi eſſent homines in circulo vel corona ſtantes, ubi nemo eſt prior, ſecundus, aut poſterior, ſed omnes ex æquo gyrum claudunt & incipiunt.

Expectatis, Auditores, ut de ſententia magiſtratibus adeò rebelli & infeſta meam feram ſententiam? Ingenuè fateor popularem eſſe, & captandis vulgi auribus inſigniter confectam. Imò ſi redeant Aurea illa Poëtarum ſecula, carminibus eorum aureis tantopere celebrata, evileſcerent planè, & metalli ſui pretium amitterent, ſi Libertati huic modò deſcriptæ conferantur. Nec aliud vitæ genus eſſet huic præferendum, ſi ea eſſet mortalium undiquaq; temperies qualis erat aureis illis ſeculis viventium, ubi

——— *Sine judice tuti*
Mollia ſecuræ peragebant otia Gentes:

Aut ſi tales eſſent hominum inter ſe affectus, quieti & modeſti, quales Aureo ſuo ſeculo tribuunt Poëtæ; cùm homines nuper è terra editi nullo vindice egebant, ſed

Sponte ſuâ, ſine lege, fidem rectúmq; colebant.

At cùm experientiâ magiſtrâ compertum habe-

amus illius ævi innocentiam esse planè poëticam, hominésq; sic pravis duci affectibus, ut vix priùs essent homines quin injurias cogitarent; cùm disertè tradant sacra Dei oracula, etiam in illo primo seculo, rerúmq; primordio, cùm è toto humano genere soli quatuor existerent, nullus adhuc esset ager de cujus terminis certaretur, nulla arca divitiis & auro referta quæ Avaritiam accenderet, nullus deniq; honos qui Ambitionem irritaret, fratrem fratri insidias struxisse, imò ob sacrificium Deo lætius & acceptius oblatum ferino belluarum more jugulasse; cùm insuper eadem experientia magistra doceat, homines, ut cœperunt, continuâ scelerum serie graviora admisisse; cogitare velim eos qui Libertatem nimis appetunt, vagam prorsus & ab omni imperio & legibus solutam, annon eam vivendi rationem desiderent quæ Νομάδων more Anarchiam pareret, societatem humanam è medio tolleret, talémq; rerum statum induceret, ubi negotia omnia Martem haberent arbitrum, ubi sublatis legibus res ferro ageretur; uxor, si pulchra, marito esset exitio, periculum ex divitiis possidenti ingrueret, fraus in foro, vis in campo juris & æqui nomen obtinerent, ubi deniq; ex rapto vel insidiis viveretur, periret omnis industriæ fructus, paterémtq; omnia fortiori & cupido

rapienda

Fallax igitur & inſtabile eſt argumentum à Natura petitum; cùm & ipſa Natura hac ex parte Syllogiſmos ſuos diluat. Eſt adeò impoſſibile ut quis liber naſcatur, ut, niſi ſubditus naſcatur, omnino naſci non poſſit. Quis neget intra privatos familiæ parietes Filium ex natalibus ſuis Patri ſubjectum, Patremq; Filio, ſuo jure, eſſe Principem œconomicum? Sed & extra familiam, ubi minor eſt cognatio, jecit aliqua Natura ipſa Imperii fundamenta. Neſcio an è Tripode loqueretur Ariſtoteles, cùm dixerit aliquos homines naturâ Servos. Et quidem ipſe dixerim eſſe aliquos naturâ Dominos? Cùm ex natalitiis ſuis ſint nonnulli ingenio tam hebeti & ignavo, ſe ſuáq; regere tam minimè idonei, ut acutioris & ſubtilioris ingenii mereatur quiſq; de ingeniis tam ſervilibus dominatum exercere. Juxta hæc ingeniorum manifeſta diſcrimina, non alio quàm naturali inſtinctu duce, cum utilitate conjuncto, ubiq; gentium homines, à ſeculo, in Societates & Reſpublicas ſuâ ſponte coaluerunt, Superiorúmq; legibus obſequium præſtiterunt. Quæ vitæ ratio ſit licèt paulò illiberalior & arctior, hominúmq; mores ſic coërceat ut Dominantium imperio obnoxios reddat; qui tamen vel plebeiâ ſapientiâ imbuti ſocietatis bona perſpecta habuere, ſubjectionem & obſe-

quium

quium cum ſecuritate copulatum, libertati cum periculis conjunctæ prætulerunt.

Quod ad argumenta attinet ab Evangelio petita; fateor, equidem, Chriſtianiſmum hoc Commate vocari *Libertatem* : Quod tamen rectè intelligendum eſt. Quiſquámne eſt adeò vecors, & paci publicæ infenſus, ut Apoſtolum credat talem excogitâſſe Libertatẽ quæ omnes Reipublicæ ordines confundat, ruptíſq; repagulis Chriſtianos immorigeros & ab omni obſequio immunes reddat ? Quæ ſine emancipanti prætoris virgâ ſervum à Domini miniſterio manumittat, ſubditóſq; à regentium legibus abſolvat ? Quæ bella Principibus indicat, Seditionibus tubam inflet, galeata incedat, &, ſi negata, aliter recuperari nequit, ferro & armis, haſtâ & gladio ſe aſſerat ? Libertas hæc eſt ? an potiùs Anarchia ? Inſtituitúrne Chriſtianorum, an pecudum religio ? Hominum an Gregum eſt hæc œconomia ? Meliùs certè feris ipſis conſuluit Natura ; cùm ſit aliqua etiam inter Lupos & Leones ſocietàs, Tigríſq; ſui generis Tigridem civem agnoſcat. Credite, Auditores, non eſſe Sanctum Paulum ſpiritu adeò verſatili ſibíq; contrario, ut contradictoria & inter ſe pugnantia comminiſci velit. Si per hujuſmodi Libertatem innuere voluit Paritatem inter homines, ſortíſq; æqualitatem,

cur reliquis Epiſtolis Superiorum & Inferiorum gradus tam ſolenniter inſtaurat? Cur ad Romanos capite 13. commate primo, velut è Principum ſolio locutus, πᾶσα, inquit, ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjicitor?* Cur ad Titum capite 3. commate item primo, ὑπομίμνησκε, inquit, ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, *Commonefacito ut principatibus & poteſtatibus obſequium præſtent?* Quid? non eodem Numinis afflatu loquitur Sanctus Petrus, primæ ſuæ Epiſtolæ capite 2. commate 13,14? Non eadem quæ Paulus de obtemperandis Principibus præcepta ingerit? Ὑποτάγητε, inquit, πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει διὰ τὸν Κύριον· εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι· εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις. Id eſt, *Subjiciminor*, ſive *ſubditi eſtote, omni humanæ creaturæ*; id eſt, καὶ ὑπάτασιν, *omni homini*, inquit Eraſmus; id eſt, *omnibus præſidibus ab hominibus creatis*, inquiunt Scholia Græca & Didymus. Quibus adſtipulatur Auguſtinus legens, *Omni humanæ ordinationi. Sive Regi, utpote ſupereminenti*; id eſt Cæſari, forſan Claudio, tunc temporis imperanti; (quos enim Romani religione juriſjurandi veteris Imperatores vocabant, referente Cypriano, hos Græci βασιλέας, Judæi idiomate ſuo *Reges* appellabant, ut à Dione perhibetur.) *Sive Ducibus ab eo miſſis*; id eſt, tum Aſiæ, tum Bithyniæ tunc temporis Proconſu-

libus

libus, poteſtatem ſuam & provincias à Cæſare ducentibus. Et nè parendi neceſſitas deſit, *Subjiciminor*, inquit, his omnibus, διὰ τὸν Κύριον· id eſt, propter Chriſti obſequium præcipientis mandatum, Matthæi cap.22.ver.21.ubi Judæis de tributo ſolvendo litigantibus, Omnia, inquit, *quæ Cæſaris ſunt Cæſari redditote*: Ut id faciatis pace veſtrâ intereſt, poteſtatis ſummæ ratio exigit, nummúſq; ipſius imagine ſignatus hortatur & ſuadet.

His poſitis, ex Præmiſſis tam ſacris liceat mihi Concluſionem hanc, humano generi utiliſſimam, deducere: Si Principibus Ethnicis, & ſceleſtis, & à vera Religione alienis, obſequii omnia munera debebantur; ſi Tiberio Chriſtus, à quo & ipſe crucifixus, ſi Neroni Paulus, à quo & ipſe morte affectus, ſi Claudio Petrus, à quo & ipſe cruci datus, tam ſincerè & diligenter obtemperandum ſtatuerint; ſi illis, inquam, Cæſaribus reverentia debebatur, quorum poteſtas de jure anceps erat & ambigua, imò qui verum Dei cultum & Exilio mulctabant, cultoréſq; ad Metalla & Leones damnabant: quantò major honos & reverentia Principibus debetur per omnia Chriſtianis? Qui infidelium imperia detrectabant perduellionis crimine tenebantur. Qui Principibus fidelibus obſequium igitur negant,

rebelles erga Deum, et Atheiſmi reos arbitror.

At hîc obganniunt homines Lymphatici, quibus læſæ Majeſtatis crimen eſt Religio, Cur dixit ſuis Chriſtus, *Principes Gentium dominantur eis; at non erit ſic inter vos, nam vos eſtis fratres?* Annon relatio inter fratres æqualitatem petit? Annon qui aliter ſtatuunt, non nobis, ſed Chriſto, imò præceptis Dialecticis bellum indicunt? Quid clarius, quid apertius quàm Paritatem hîc mandari? Huic nodo Ariſtoteles cuneum aptat et Hermogenes, qui in Topicis ſuis Oratoriis, ubi de eo loco agunt qui vocatur περὶ ῥητῶ καὶ διανοίας hanc tradunt regulam, *Cùm verba*, inquiunt, *ſenſum præ ſe ferre videntur moribus æquis & rectæ rationi adverſantem, non ad verborum apices, ſed ad loquentis mentem & conſilium exponenda ſunt.* Jam attendite, Auditores.

Si eo conſilio dixerit Chriſtus, *Principes Gentium dominantur eis; at non erit ſic inter vos*, id eſt, inter Chriſtianos meos æqualitatem ſempiternam inſtituo; quid Paci, quid Moribus, quid rectæ Rationi, imò quid ſibi diſcrepantius dicere potuit? Annon tale effatum fuiſſet vaticinio ſuo proximum, ubi dicit, in mundum *veniſſe* ſe, non *ut pacem daret, ſed ut* Reſpublicas turbaret, quieta moveret, *ferrúmq;* toti terrarum orbi *immitteret*? *Ite*, inquit Apoſtolis, &

præ-

prædicate Evangelium omnibus gentibus. Si per Evangelium Æqualitas perſonarum intelligitur, quid aliud præcipit quàm ut irent Apoſtoli & regna divellerent, bella accenderent, arma ſuaderent, familias lacerarent, doceréntq; filium cum patre, ſervum cum domino, ſubditum cum Principe de principatu dimicare? Talis ſanè perſonarum æqualitas ſi ab Evangelio permitteretur, triſtiſſimas Evangelii partes eſſet impletura; eſſétq; Eccleſia fratribus Cadmæis ſimillima, civéſq; produceret mutuis telis ſe petentes, eodémq; quo orti ſunt ſolo pereuntes. Eſto igitur, dixerit Chriſtus, *Principes Gentium dominantur eis; at non erit ſic inter vos.* Non omnibus id dixit, ſed ſolis Apoſtolis; ſeu potiùs Diſcipulis ſuis de ſede ad dextram ejus & ſiniſtram ambitiosè contendentibus. *Non erit ſic inter vos*, inquit: Inter vos nemo erit prior aut poſterior, ſed eritis omnes & primi & poſtremi. Aut ſi aliquem dari oportet primatui locum, erit Ordinis primatus, non Juriſdictionis; ut ad mentem Servatoris noſtri optimè diſtinguit Irenæus.

Quæritis igitur, Auditores, cujuſmodi ſit Libertas ea de qua tam prolixè peroratum eſt? Si ex hujus loci textura eruatur Reſponſum, Eſt Libertas ſeu Liberatio à Lege Moſis; non ejuſmodi Libertas quæ exleges eſſe ſinat. Eſt

Liber-

Libertas quæ Magiſtratibus obſequium Principibúſq; ſuadet; non quæ cupiditatibus indulget frænóſq; laxat. Eſt deniq; Libertas quam patitur Evangelii ſanctimonia & perfectio; non quam arripiunt ſibi homines ex ſuo malo arbitrio viventes. Ἐλευθερία, nempe, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, *Libertas quâ nos Chriſtus liberavit.* In qua (quod proximè expediendum occurrit) *ſtare* nos & perſeverare hortatur Apoſtolus.

2. *In ea perſeverantia.*

Cùm tot ſint Eccleſiæ diverſa dogmata tuentes, quot ferè ſunt gentes diverſis moribus inſtitutæ, videtur mihi Religio (quâ nil ſanctius eſſe debet) pleriſq; mortalium nullo certo judicio aut ratione, ſed caſu & ſortilegio quodam contingere. Eam quiſq; amplectitur, non quæ optima eſt & certa, ſed quæ prima ſortitò naſcentibus occurrit; eam nempe quam patria præcipit Edictis publicis colendam, Majoréſq; ſuis poſteris invariabilem tradiderunt. Et ſicut qui Aſtrologiæ dant operam, & in evolvendis Geneſibus verſantur, aſſerunt homines, pro vario ſiderum ſitu & influxu, variis eſſe moribus & ingenio; ſub Venere oriundus erit Veneri proclivior; cui affulſit Mercurius, erit præſtigiator aut furax; is deniq; cui Saturnus, non dicam affulſit, ſed plumbeos ſuos radios malignóſq; impertiit,

Planetæ ſuo ſimilem temperiem ſortietur, plumbeam nempe & triſtem, atrâq; bile laborantem : Idem de Religione dicendum arbitror; quaſi & ipſa ſideribus ſuis eſſet obnoxia, & ad diverſos Planetarum aſpectus diſtinguerentur Eccleſiæ, pleriq; hominum non ſeriò expendunt quid doceant hæ Eccleſiæ, ſed quâ mundi plagâ ſtet Eccleſia ipſis natalitia; cujus Fidei & Doctrinæ pertinaciter incumbunt, non quia vera eſt, (id enim ignoratur) ſed quia, naſcendi ſorte cùm ſit ipſis avita & gentilis, falſam eſſe nullo modo adduci poterunt ut credant. Hinc Turciſmo ſuo Bizantinus, Socinianiſmo Polonus, Lutheraniſmo Suecus, Saxo, Norvegienſis & Danus, Pontificatui Romanus, Genevenſis Calviniſmo, & Idololatriæ ſuæ Peruvienſis & Indus adhæreſcunt, pro piaculo ducentes cum Majoribus non errare, nec ſine ἀποστασίας nota deſeri poſſe dogmata, vel falſa, à patribus accepta.

At quid tali perſeverantiâ excogitari poteſt dementius? Quæ Anticyra ſufficit ſanandis tam pertinaciter credulis? Annon hoc eſt debere Religionem ſuam, non Veritati, quæ certis nititur principiis, ſed Climati & Cœlo, quæ eam traducem obtulerunt? Annon hoc eſt, prædiorum more, errores Majorum poſſidere, ipſorúmq; deliramenta hæreditaria ſibi

facere? Quibus cæcam ſine examine adhibere fidem, ideóq; vera credere quia Patria ſic jubet, quid aliud eſt quàm Ethnicos illos ſibi adſciſcere Doctores, quorum Libello ſuo meminit Fælix Minutius, qui uno hoc Argumento Paganiſmum ſuum Religioni Chriſtianæ anteferendum ſtatuebant, quia eſſet antiquior, diutiúſq; inoleverit?

Ut liberè, igitur, quod ſentio, & audacter enuntiem; Si quis nullo partium ſtudio, nullo malo conſilio, nullo Honoris, Quæſtûs, aut Emolumenti aucupio, ſed pio affectu, ſuadente conſcientiâ & veritatis amore ſententiam ſuam mutat, eum ab Inconſtantiæ & levitatis crimine abſolvo: Non Transfuga eſt, ſed melioris diſciplinæ Diſcipulus.

Et licèt haud facilè probarim eorum mobile ingenium qui, peregrinantium more, per omnes Eccleſias vagantur, ut veram inveniant; qui pietatem ſuam cum ſolo ſuo exeunt, & Pantheon quoddam ſibi ubiq; gentium machinantes, gentium omnium inſtituta & mores amplectuntur: Ubi tamen Eccleſia in qua fuerunt enutriti à primævis ſuis moribus et puritate defecerit; ubi priſtinam veritatem nova dogmata polluerint; ubi demum nil integrum, nil ſincerum, præter Eccleſiæ Nomen, ſuperfuerit; non virtus eſt Conſtantia, ſed

Hæreſeos affectatio, tenáxq; hallucinandi cum aliis propoſitum. Quiſquis hac ex parte diſceſſum negat, perditos eſſe jubet, et ſalutis ſuæ improvidos. Imò illam mutandi Libertatem tollit, quâ Chriſtus hoc commate Chriſtianos liberavit.

At quiſquis is eſt qui diſciplinæ tam ſanctæ ſive moleſtiâ affectus, ſive cupiditatum ſuarum lenocinio pellectus, à Chriſtiana Religione penitiſsimè deſciverit, næ is non eam ſolùm Apoſtaſiæ ſuæ libertatem arripit, quam nulla Religio, nè quidem falſa, concedit; verùm ſcelus admittit nullâ pœnitentiâ, nullis lachrymis eluendum, facítq; aliquid animali ratione prædito indignum.

Eſto enim, ſi quis Chriſtianiſmi ſui pertæſus aliam ſibi Religionem deligendam arbitratur, è toto Religionum cumulo, quæ aut fuerunt aut ſunt, quam Religioni à Chriſto traditæ præferendam cooptabit? Paganiſmum, quem Evangelio antepoſuit Julianus? Religio ſanè erat cultoribus ſuis digna, qui Deos ſuos fecerunt primò, deinde coluerunt; imò qui ſic obbrutuerunt, ut plerumq; ex eodem Grege & Armento, & Hoſtia & Numen peteretur. Bos bovi cremabatur, agnus arieti: Animalia ſive Aratro, ſive Culinæ deſtinata, ἐνθύσιον ſuam habuere, Aríſq; & Templis ornabantur.

Imò quod turpius erat, & humano generi pudendum, Marmoreum & Saxeum colebant Jovem; Tonantíq; ligneo victimæ immolabantur. Ex iiſdem lapidibus conſtabat & Deus & Altare; ex eadem materia Sacrarium & Numen. Quis Socrates ferre potuit quadrupedem Jovem, Phœbúmve non contempſit è ſylvis exciſum, vel è Lapicidina nuperrimè effoſſum? Quis Lucianus non irriſit eboream Venerem, latrantem Anubin, Oſirin mugientem, ſerpentem Æſculapium? Monſtra hæc erant, non Numina; ſed illius ævi cultoribus veneratu digniſsima, quos Pſalmiſta diis ſuis ligneis & lapideis ſimillimos pronunciat, Pſalmo 115. verſu 8.

At quantò meliùs humano generi conſuluit Chriſtiana Religio, quæ & unum Deum ſuis colendum propoſuit, eúmq; Optimum Maximum, horúmq; omnium Opificem? Cœli & Terræ, Hominúmq; inprimis, Creatorem; ab Hominibus igitur meritiſſimè ſummóq; jure venerandum? ubiq; præſentem, ut opituletur ſuis? ubiq; ſapienter omnia diſponentem? Mandata ſua calcantibus à tergo vindicem & ultorem; ideóq; ob potentiam à ſceleratis metuendum? Mandata ſua ſervantibus præmia ampla reddentem; à piis igitur omnibus & bonis ſummoperè diligendum? Quid dicam,

Audi-

Auditores? Si liberum daretur Hominibus ſuffragium quod Numen, quem Deum ſibi deligerent colendum, Atheus ſit oportet, vel fragilitatis ſuæ immemor, qui Deum tam potentem & benignum veneratione ſummâ non dignetur.

At ſunt, forſan, quibus Religio Chriſtiana præ Mahumetiſmo ſordet; & quibus volupe eſt Evangelium Alcorano poſtponere. Quiſquámne eſt adeò Turca-Chriſtianus, ut Mahumetis paradiſum, fabuloſam & mendacem, Cœlo Chriſtiano & Paradiſo prætulerit? Pollicetur ſanè Campos Elyſios neſcio quos, æternámq; explendis libidinibus juventutem & florem; Fœminas turgentibus oculis, et nunquam ſeneſcentes; voluptatis ver perpetuum, nec ſatietate minuendum. Hominis hæc, an pecudis, felicitas vocitetur? Paradiſi ſunt iſta, an Lupanaris, Gaudia? O ſummum Bonum pro turpitudine & deliciis expetibile, gregibúſq; æquè ac dominis ſummis votis præoptandum!

Paradiſum ſuam habet & Chriſti Evangelium, ſed puram & realem, nec poëticè confictam: voluptates pollicetur, ſed à turpitudine abhorrentes. In Cœlo Chriſtiano nec Veneri caſtæ locus eſt; Uxor & Maritus ſunt illic ignota vocabula. *Eritis ſicut Angeli*, inquit

Chriſtus Servator. Corpora habebitis, non ad explendas libidines, ſed animabus & ſpiritibus conformata & ſimilia. Gaudia æquè ſpondet diuturna et æterna, ſed altiora et majora, ſanctiúſq; poſſidenda; claram Dei viſionem, Redemptoris Chriſti gloriam, in Angelorum choro cœleſti ſedem illis parem, et interminabilis vitæ beatitudinem ſempiternam.

Hæc cùm ità ſint, neminem eſſe credo adeò ſervitutis ſuæ cupidum, ut Chriſtianæ Religioni Judaiſmum prætulerit. Illius Eccleſiæ ritus & cæremonias cogitet, oneroſas ſanè, & vel multitudine ſuâ ægerrimè ferendas. Cogitet quàm ſumptuoſa eſſet illa Religio, quæ cuilibet peccato victimam poſcebat. Uſq; eò, ut, ſi pauper eſſet qui peccaſſet, vix eſſet ut ad veniæ ſuæ pretium accederet. Cogitet Sabbata & Novilunia, Feſtáq; alia innumera, rigidiſſimè celebranda, & otiantibus etiam gravia. Cogitet deniq; quot cœli alites, quot fluminis piſces, quot terræ animalia nè guſtanda vetabantur. Adſtipulabitur, puto, ſancto Hieronymo dicenti, Legem Moſaicam eſſe adeò rigidam & duram, ut civibus ſuis communia ferè Elementa clauſerit: non ab aqua & igni, ſed ab aqua, terra & cœlo interdiceret. Et ſanè quàm grave fuerit illius Legis jugum, dicat Petrus Apoſtolus, Actorum capite 15.

verſu

verſu 10. ubi vocat ζυγὸν ὃν ὔτε πατέρες ἡμῶν ὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι, *Jugum & ipſis & patribus ſuis difficillimè tolerandum.*

Sciſcitamini quæ fuerint pietatis tam laborioſæ præmia? Hujus ſeculi Beneficia, caduca planè et temporalia. Ab hoſtibus tutela, de hoſtibus victoria, lætæ ſegetes, bona corporis valetudo, uxores fœcundæ, gregéſq; ut plurimùm gemellos parientes. Adeò ut neſciam planè veriúſne an elegantiùs dixerit Auguſtinus, Egiſſe cum civibus ſuis Legem Judaicam ut egit cum ancilla ſua Agare Abrahamus, quam, poſt longam ſervitutem, dimiſit dominus, portantem manu utrem aquâ oppletum, humeróſq; cibo tenui et panibus onuſtam.

At quantò magìs ſuorum conſtantiam meretur nova Lex Evangelii; quæ et longè molliora præcipit, et perſeverantibus præmia longè ampliora pollicetur; quæ Legis tam moroſæ et jugum excuſſit, ſuóſq; ſine tædio felices eſſe jubet? Nullus jam ſupereſt ritus, aut cæremonia quæ cultores ſuos torqueat, faſtidiúmq; ſui pariat. Dives ſi jam peccet, haud ultrà petitur bos delicti ſui pretium; nec agno ſe purgat peccator inops et egenus. Sub nova Lege viliùs conſtat Innocentia; nullâ victimâ pretioſâ, nullo gregis detrimento, ſed

peccantis precibus et lachrymis, et mœrore pio redimenda. Tempora ſua non ex Moſis Calendario, ſed ex annuo Solis curſu ſupputant Chriſtiani. Exoluerunt Sabbata omnia, niſi quæ dictat Eccleſia; nec ullus ultrà in terris Novilunio locus eſt, ſed reparandis ſuis cornibus cœlo ſuo adſtringitur. Nullus cibus jam vetitus convivas inquinat; nulla avis, aut piſcis, aut porcus prohibetur. *Omnia mundis ſunt munda*, inquit Paulus Apoſtolus. In ſe credentibus Cœlum Chriſtus & Macellum aperuit: Lepus & cervus, agnus & aper, mullus & oſtrea, turtur & ciconia nullo diſcrimine veſcentibus apponuntur. Menſa prima his inſtructa innocentes admittit; nec facit quenquam menſa ſecunda reum. Nè longior ſim, Ipſius Legis & facies & formula jam mutatur. Haud ultrà in præcepto eſt, *Fac hoc & vives*; ſed, *Quiſquis in me crediderit ſervabitur*, Joannis capite 3. commate 15.

Cæterùm non ſic intelligenda eſt illius loci ſententia, quaſi ſublato Legis jugo nil agendum ſupereſſet; aut nil durius præſtandum ſuis Chriſtus præciperet, quàm otiari & credere, ignavos eſſe & beatos. Hallucinantur impensè qui cœlum ſegnibus ſibi & inertibus pollicentur, unicámq; putant Fidem ſaluti neceſſariam.

Suum

Suum etiam & Chriſtus *jugum* habet, ſed χρηστὸν, & *lene*: Opera requirit, ſed molliùs peragenda. Perpendite enim, Auditores doctiſſimi, quàm ſterilis & jejuna, & vel Ethnicis indigna, à nuda Fide, ſine Operibus, proficiſcatur Religio. Intuemini quàm macilentâ ſit facie, quàm aridâ et exangui, prout à Sancto Jacobo depingitur capite ſuo 2. verſibus 14, 15, 16. Eſurienti et famelico, Satiator, inquit, et ſatur eſto; at cibum qui inediæ ejus ſuccurrat non erogat: Ægroto et cubanti, Convaleſcito, inquit, et ſanus eſto; at nec inviſit, nec languido Medelam parat: Frigeſcenti et nudo, Amicitor, inquit, et caleſcito; at præ frigore horrenti amictum non porrigit. Religio hæc eſt, an Parſimonia, Auditores? Hoc eſt miſeris ſuccurrere, an loculis ſuis parcere? Profectò, me judice, qui ſic liberales ſunt, non afflictis opem ferunt, ſed ludibrio exponunt: eſurientes non paſcunt, ſed famem objiciunt: ægris non medentur, ſed ægritudinem illudunt. Magi hæc eſt Eleemoſyna, non Chriſtiani, apparentia pro veris arte Magicâ oſtentantis. Sunt ſanè hujuſmodi ſolatia adeò frigida et vana, ac ſi quis fame et ſiti laborans ad pictum convivium epuláſq; invitetur, nec vinum aliud miniſtretur ei quàm penicillo adumbratum.

Eſto igitur; ſit Fides inter virtutes Theologicas vel prima: At præſtantior eſt Charitas bona opera elargiens. Imò ſine his Fides emortua eſt & nulla; virtus æquè Dæmonibus & Chriſtianis communis. Imò ſi ſine Operibus ad ſalutem æternam ſola Fides ſufficeret, malè vocavit Chriſtus *ſemitam* in cœlos ducentem *arctam, & anguſtam, & à pauciſſimis calcatam,* cùm eſſet præ aliis omnibus maximè lata & aperta, ſolíſq; cœli porta Incredulis clauderetur. Immutaretur prorsùs Evangelii et mens et ſententia, hanc formulam habentis, Crede et occîde, crede et ſcortare, crede et furtum facito, inſons eris et ſalvus. Imò in die Judicii, quod futurum opperimur, neceſſe eſt mutetur Chriſti Judicis ſententia, dextram ſuam in ſiniſtram perversè convertentis; dicendúmq; erit, non, *Venite Benedicti,* ſed, *Venite Maledicti à Patre meo.* Eſurivi enim, et panem mihi non ſuppeditâſtis; Sitivi, nec aquæ cyathum miniſtrâſtis; Nudus eram et languebam, at ſolatia nulla attuliſtis: Ingredimini ergo regnum cœlorum impiis, at credentibus, paratum.

At aboletur Lex, inquiunt, et nos Chriſtus liberavit. Aboleri fateor Legem, ſed in uſu eſt Decalogus. Abdicatâ Lege Cæremoniali, Moralis ſupereſt obſervanda. Pietatem erga Deum, erga parentes reverentiam, erga homi-

nes juſtitiam, & erga pauperes charitatem, κατὰ illæ φύσιν naſcentibus ingenitæ, recta Ratio, & Legis & Evangelii fideliſſima Interpres, ipſúmq; Evangelium, & hortantur & expoſcunt. Atq; hæc eſt illa Libertas vera & genuina, quâ Chriſtus hoc commate nos dicitur liberâſſe. A qua quiſquis, vanæ ſuæ fidei & frigidæ innixus, vel peccandi dulcedine captus & illectus, vel diſciplinæ tam ſanctæ tœdio affectus, digredietur & deſciverit, næ is ſervitutis ſe jugo irretit & implicat. Quod ultimò, et pro Coronide, mihi occurrit demonſtrandum.

3. *Jugum ſervitutis.*

Duplex, inquit Aquinas, (quo nemo meliùs diſtinguit) *eſt Servitutis Jugum; aliud Legis*, (Moſaicam intelligit) *aliud Peccati*, (quod credunt pauciſſimi.) *Et ſicut Catenæ duæ, quibus vincti tenentur, metallo ſuo differunt, & ex materia diſtinguuntur, cùm altera ex ferro, altera ex ære fabricetur; ſunt tamen Catenæ, vinctóſq; obſtringunt: Sic Jugum Legis à Peccati Servitute & Jugo non re, ſed ſolo modo premendi diſſidet.*

Quid de Jugo Legis ſentiendum ſit, ſuperiùs dictum eſt; nec auribus veſtris ſim cramben bis coctam poſiturus. Quid de Peccati Servitute et Jugo ſentiendum ſit, ſuo loco dicetur, et à me denuò diſſeretur. Poſtulat Temporum nuperrimè retrò actorum et ra-

tio et Calamitas, ut de alio Servitutis Jugo ſit aliquid dicendum, quâ (ſi ex barbarie et magnitudine æſtimetur) nulla ætas præterita graviorem vidit, nulla ætas futura ſilentio præteribit. Ut ſunt diverſa ſervitutis genera, vel ex pœna, vel ex pacto, vel ex Bello contracta, nulla acrior eſt eâ, et ſervientibus acerbior, quàm quæ à victore inſolenti et ſuperbo victis imponitur. Regem vidimus captivum, et in regno ſuo exulantem; imò, quod ſine lachrymis non eſt enuntiandum, imæ plebis ſecuri Capite truncatum. Leges vidimus captivas, et præ metu obmuteſcentes, et ex ſola victorum rabie et furore pendentes. Foro vidimus Juga et Tribunalibus impoſita, lites ex victorum malo arbitrio et libidine decernentibus. Imò, Religionem ipſam vidimus captivam, Cateníſq; Evangelium et Compedibus conſtrictum. In tempora incidimus ubi omnia victoribus, nil victis erat licitum; ubi linguis æquè ac manibus injectæ ſunt manicæ, veritáſq; loquentis capite vel exilio luebatur; imò, (quod durius erat, et vix facilè credendum) ubi gemitus et ſuſpiria exilio et carcere mulctabantur, nec relictum erat miſeris ſe miſeros plorare. Lachrymarum rei fuimus, triſtiſq; vultus notabatur tanquam malè ſervientium Tyrannidi affectus. Malignus erat

quiſ-

quiſquis de Infortunio ſuo querebatur ; nec ſatis erat infelices eſſe, niſi etiam & contentos. Quid referam Tributa ſuperbiſſimè exacta ? Quid publicanorum avaritiam Nummis ſemper inhiantem ? Quid Fiſcum inexplebilem, nec Decimationibus repletum ? Quid Gentem exeſam, & vectigalibus exhauſtam ; imò ſervitutem ſuam & vincula totis opibus emercantem ; quibus Captivis ſine grandi pretio eſſe non licuit, nec ſine magno auri pondere Catenas ſuas ferreas induere ? Quid referam Templa diruta, ſolóq; proſtrata, plumbúmq;, ſaxa, ligna auctioni expoſita ? Quid Templa ſtantia à præconibus æquè ac militibus inquinata ; cùm ex altera parte audire erat oratorem furibundum pro Servitute debacchantem, ex altera parte ſterquilinium videre, à præſidio ſtabulanti turpiter aggeſtum ? Quid referam deniq; Academiam hanc Servituti & tenebris damnatam ? Oppidanos & Academicos ex æquo literatos ? Ubi nemo doctus habebatur, niſi indoctus, id eſt, *Sanctus*, & qui Muſas contemneret vel ipſo nomine *Malignas*. Ubi deniq; ſic penitùs invaluit Ignorantia, ſic vicibus mutatis inſulſa erant omnia, ut ſalsè quidem, ſed & verè, affirmârit neſcio quis, (parcite vocabulo, quia felicius non occurrit) *Habuiſſe Academiam Doc-*

tores Aldermannos, Oppidúmq; habuiſſe Aldermannos Doctores. Hoc tamen diſcrimine; Oſtro ſuo interdum nitebat Oppidanus, à quo Doctor Academicus æquè acà ſtudiis abhorrebat. Et quid tandem moratius expectari potuit, quid eruditius à tunc temporis Oxonio, quæ habebat plumbeos Profeſſores, *Cromwellúmq;* Cancellarium?

Si tot mala Captivis externus Victor intuliſſet, nomine & famâ celebri & inſigni, ſi Hannibal aliquis, aut Cæſar, aut Alexander redivivus, fuiſſet aliquod ſervitutis tam duræ ſolatium, ab hoſtibus præclaris præclarè vinci; nec Jugi pœnituiſſet à Principibus injecti. At prôh dolor! paſſi nos ſumus, quod in tota Malorum Iliade eſt graviſſimum, Belli civilis & ſervilis & mala & opprobria. Miſeriis noſtris nullus adfuit Alexander Magnus & illuſtris, ſed χαλκεὺς, & ærarius, et fabrilia pertractans. Nullus Cæſar nos ſubegit ſuis Aquilis præfulgens, ſed Borgia neſcio quis ex ima plebe delectus. Non tam victoriæ quàm victorum nos pudebat, qui ſervitutem noſtram et gravem et infamem reddiderunt. Imminebant nobis Domini ſine Nomine prognati, Terræ planè filii, et è fæce populi pullulantes. Domini Cerdones, reſarciendis ſoleis aſſueti, ab Incude et Aratro et Sutrina acciti,

et ludente fortunâ ad faſtigia rerum evecti. Leges dabant Ingenuis qui vix erant Libertini, et quos alia Reſpublica vix cives agnoſceret; Homunciones et ipſi ſervitio aſſueti, qui regnum ſuis Armis in piſtrinum immutabant.

Quæritis qui fuerint Servitutis tam plorandæ fabri primi et Artifices? Quid dicam, Auditores? Homines Chriſtianam Libertatem pro Roſtris ſtrenuè clamitantes; Seditionibus et diſcordiis ſuis pietatem obtendentes; qui falſò Sanctorum ſe nomine inſigniunt, nil ſceleſtum, ſi ad Dei gloriam perpetretur, autumantes; qui parricidiis ſuis et cædibus, perjuriiſq; et rapinis, Chriſti et Spiritûs Sancti patrocinium adſcribunt; qui Deum impiis ſuis armis vexillarem conſtituunt, doliſq; ſuis & fraudibus tutelarem & propitium; imò, (quod ſolis vertigine correptis convenit) qui idem cum nobis paſſi jugum Servitutis, ab ipſis primùm vafrè & calidè fabricatum, artificum deinde collo æquè ac noſtro impoſitum, velut homines in perniciem publicam & ſervitutem nati, ſummis ſtudiis & aſtutiis revocare conantur: in id unum ſatagentes, ut ſimus iterum captivi; ut læſæ Reipublicæ recrudeſcant vulnera, & cicatrices, poſt bellum inteſtinum jam obductæ,

novis vulneribus & reſerentur & pateſcant: Imò, qui pacem quâ fruuntur ſervitutem appellant; & de Regis Optimi Clementia ut de Jugo gravi queritantur; quæ in eo uno, me judice, graviter peccavit, quòd Crucem meritis ignovit, & à patibulo liberavit.

Cauſam quæritis cur Homines adeò turbidi & Seditionibus ſtudentes Tragœdias novas concitare, novos motus machinantur? Epiſcopos ferre nequeunt *Solenni Fœdere* abjuratos; Eccleſiæ ritus neſcio quos & criminantur, & damnant: exterminandas eſſe clamant è Templo Dei Cæremonias; Signúmq; Crucis à Baptiſmo novo Bello ſummovendum: De Veſtium ſacrarum Colore litigant; ſtolámq; candidam ex Albo Chriſtiano delendam aſſerant: Neminem vera poſſe eloqui qui aſcendit roſtra togatus; deberi animarum ſalutem ſoli penulâ induto. Hæc ut illicita eſſe probent, adducunt argumenta, non è Scholis petita, vel principiis ſolidis ſubnixa, ſed è Campo, & Acie, & Ferro excita; nec alios afferunt Syllogiſmos ſententiæ ſuæ ſuffragantes, quàm galeatos & loricatos, haſtíſq; & telis ſe tuentes.

Adverſus talia machinantes, quid agendum, Auditores? Quibus præſidiis muniti eorum rabiem fugiemus? Certè precandum

eſt

eſt Modeſtiæ, ut ſint contenti ; & precandum eſt Deo, ut Libertatem, quam diu exulem cum Rege pio reſtituit, à Perduellium inſidiis & vi apertâ integram & diuturnam conſervet.

Supereſt aliud Servitutis genus à me deinceps explicandum, priori longè gravius, & à bonis omnibus deprecandum. Eſt ea ſervitus Peccati, prioris cauſa & origo ; cujus Bella, Peſtis, Fames, Jugum publicum, et Captivitas, et quicquid acrius eſt timendum, ſunt et fructus et ſupplicia. Et licèt homines ſuo Genio et voluptatibus indulgentes Libertatem veram ex ſola peccandi Libertate metiantur : Philo tamen Judæus, in libro quem inſcribit περὶ τῶ πάντα σπουδαῖον εἶναι μόνον ἐλεύθερον, Argumentis vel Oraculi fidem merentibus et probat et demonſtrat, Nullos verè eſſe Liberos, niſi Virtuti dantes operam ; nec ullos verè eſſe Servos, niſi Vitiis ſuis inhærentes. Non bello captos, quos fortuna, non ſua culpa fecit ſervos ; non Mediaſtinos, vel Mancipia ſub Haſtis venalia ; non eos deniq;, qui aures habebant ad Oſtii poſtem terebratas, et à Domino perforatas, nè fugitivi elaberentur. Hi enim omnes, ſi rectè calculum ponamus, ex dimidio tantùm ſervi erant, et ſolo corpore Mancipia. At quiſquis longâ peccandi con-

ſuetudine victus ſuis vitiis ſe addicit, quiſquis à Cupiditatibus ſemper turpia ſuadentibus duci ſe patitur obſequentem et morigerum, meliore ſui parte et introrsùm ſervus eſt: Gulam habet Dominum, Ebrietatem et Luxum; Ambitionis, et Libidinis, et Superbiæ eſt Mancipium. Animam habet furciferam, et piſtrino damnatam, auréſq; habentem ſubulâ ad Oſtii poſtem terebratas. Eadem purpurati et plebeii peccatoris ſors eſt; pari ſervitute ſuis vitiis inſerviunt, Affectibúſq; obſequuntur ex æquo dominantibus. Hoc ſolo diſcrimine,

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.

Memoratu digna ſunt quæ in Satyris ſuis tradidit Horatius Poëta, ſic tamen ut Theologo haud indigna videantur. Servum quendam Davum Saturnalitiâ libertate utentem inducit, & de ſervitute ſua acriter querentem. Ubi Dialogiſmo (dicam, an Demonſtratione?) probat Servus, Dominum ſuum vitioſum à fortiori eſſe ſervum. Si quando me, inquit, ebrium, aut ſcortantem, aut prodigum prehendis, ſcuticam minaris, fla-

gellum & Crucem. Tu cùm ſis quod ego, & fortaſſis nequior, nullam tibi deberi ſcuticam, nulla flagra exiſtimas? Quid inter meam ebrietatem & tuam intereſt? Hoc nempe, Vappam ego et vinum Veientanum bibo; Opimianum tu plerumq;, Maſſicúmq; et Falernum. Ex æquo ſumus temulenti, at tu lautiùs et generoſiùs. Quî differunt mea Stupra à tuis Adulteriis? In eo nempe, quòd tu cariùs & ſplendidiùs peccas. Plebeia Venus mihi aſſe gemino paratur; tu Nobilem ſectaris fundi pretio redimendam. Alea vel damnoſa æs parvum mihi ſurripit; tu poſitâ ludis Arcâ, prædiáq; tota diſperdis. Hæc cùm ità ſint, quid inter me, tuum Davum, intereſt, (Servum fateor & Mancipium) & te Marcum Antonium meum, Damaſippum, vel Lucullum? Hoc nempe; Tu mihi qui imperitas aliis ſervis miſer; Ego te habeo Dominum, tibi vitia dominantur.

Et nè poëtica hæc & parùm ſeria credatis, audite Divum Paulum & Horatium eodem ſpiritu loquentes. Ad Romanos capite 6. commate 16. *Neſcitis*, inquit, *cui vos obtemperando ſervos præbetis, ejus eſſe vos ſervos cui obſequium præbetis, vel Peccati ad mortem,*

tem, vel Obedientiæ ad juſtitiam? Potuíſtne meliùs Ariſtoteles ſervitutem definire? Dicite enim, Auditores, quem creditis eſſe ſervum? Annon eum quem ſtatuit Lex non ſui, ſed alieni eſſe juris & arbitrii? Qui ex aliena voluntate et imperio ſic pendet, ut ſi munia quævis ſordida obire jubeatur, ſine ulla cunctatione ſint protinùs obeunda? Annon is verè ſervus eſt qui ſeipſum non habet? cui ex præcipientis nutu ſunt omnia peragenda, et cui omnis recuſandi libertas ſubtrahitur? Quid refert quis munia tam ſordida et dura præſtituat? Herúſne aſper et crudelis, an imperioſa Libido? Princeps Tyrannus, an Tyrannus Affectus? Superior perſona, an vitium ſuperius? Diverſi ſunt Domini, ſervitus eadem et par. Exemplis res fiet et lucidior et illuſtrior. Quod penſum ſervile à viliſſimo mancipio exigere poteſt Dominus, utcunq; durus et Exactor, quod non à ſe exigit vir parcus et avarus? Tempora ſua inter opes augendas curáſq; anxias diſpertit: ſurgit diluculò, ſerâ veſperâ it cubitum. Annus illi non ad ſtatas Naturæ vices tranſigitur, ſed ex Solſtitiis æſtivis totus componitur; ubi longiſſimi ſunt dies, noctes breviſſimæ.

Sibi miſerrimè et ſine mercede conductitius eſt; inter opes quærens non habiturus opes. Æternam patitur menſæ ſuæ famem et jejunia, cibúſq; eſt illi tenuis, velut in obſidione deprehenſo. Egenis nihil erogat; nec mirum, cùm nec ſibi. In ſumma; Tantalus ipſe ſui eſt, mediis aquis ſitibundus, inter opes et divitias vel Iro pauperior. Iro enim et Mendico deſunt opes quas non habent; ſed *Avaro deeſt tam quod habet quàm quod non habet*, inquit Publius ille Mimus, et ſapienter et faceté.

Et quod de Avaritia dictum eſt, de aliis vitiis dici poteſt. *An ille mihi liber videatur*, in παραδείγματι ait Cicero, *cui Mulier imperat? cui leges præſcribit, imponit, jubet, vetat? qui imperanti nil negare poteſt, nihil audet? Poſcit? dandum eſt: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimeſcendum.* An ille mihi liber videatur, qui ad varios et mobiles fœminæ affectus affectus ſuos varios et mobiles componit? qui ad illius leges et arbitrium ardet et odit, ſpem alit et extinguit, dolet et lætatur? *Sit licèt in ampliſſima familia natus, ego iſtum non modò ſervum*, ſed viliſſimum Libidinis Mancipium exiſtimo. Imò ſit licèt *Imperator*, in Imperio ſummo

ſummo conſtitutus, *cui tandem hic libero* et ingenuo *imperabit, qui Cupiditatibus ſuis non poteſt imperare? Refrænet libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteráſq; animi labes repellat: tum demum incipiat aliis imperare, cùm ipſe improbiſſimis Dominis, Dedecori & turpitudini, parere deſierit. Dum his quidem obſequitur* & morem gerit, *non modò Imperator, ſed liber omnino habendus non erit.*

Pro Coronide igitur, (nè nauſeam vobis pariat prolixior peroratio) Quæritis, Auditores, quis verè ſit liber? *Qui Legibus quidem non propter metum paret, ſed quia* officii id ſui, & *ſalutare eſſe judicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat* deniq; coactus & invitus, *ſed ſuâ ſponte, & libenter; cujus omnia conſilia ab ipſo proficiſcuntur, réſq; omnes quas gerit* in Bonum publicum tendunt; qui fortunæ ſua fulmina minanti non cedit, imò ſecurus & intrepidus fulminanti vel occurrit; qui Honores contemnit ſerviliter acquirendos, Divitiáſq; ludibrio habet malis artibus quæſitas: qui, deniq;, ſic vivit, ut actæ vitæ non pœniteat; ſic moritur, ut mortem inter publica Naturæ munera recenſeat. Atq; hæc eſt illa Libertas vel ſupra Leges poſita,

à

à Stoicis æquè ac Chriſtianis ſummis laudibus evecta. Hæc eſt illa *poteſtas vivendi ut velis*, quæ hoc ſeculo magnos nos reddit & illuſtres, in ſeculo futuro & illuſtres & beatos. Quod faxit Deus; Cui omnis Laus & Gloria, in ſecula. *Amen.*

FINIS.

ERRATA.

PAg. 13. lin. 13. leg. quidni ipſe p. 21. l. 20. leg. ſuo exuunt
p. 35. l. 17. leg. afferunt